

XII

AD AVGVSTVM

Strophe Sapphica

Quem virum aut hērōa lyrā vel ācrī
Tībiā sūmis celebrāre, Clīō ?
Quem deum ? Cūius recinet iocōsa
Nōmen imāgō,

Aut in umbrōsīs Helicōnis ōrīs,
Aut super Pindō, gelidōve in Haemō ?
Vnde vōcālem temere īnsecūtae
Orphea silvae,

Arte māternā rapidōs morantem
Flūminum lāpsūs, celerēsque ventōs,
Blandum et aurītās fidibus canōrīs
Dūcere quercūs.

Quid prius dīcam solitīs parentis
Laudibus ? Quī rēs hominum ac deōrum,
Quī mare ac terrās, variisque mundum
Temperat hōrīs :

Vnde nīl māius generātur ipsō,
Nec vīget quidquam simile, aut secundum.
Proximōs illī tamen occupāvit
Pallas honōrēs

Proeliīs audāx ; neque tē silēbō,
Līber ; et saevīs inimīca virgō
Bēluīs ; nec tē, metuende certā
Phoebe sagittā.

Dīcam et Alcīdēn, puerōsque Lēdae ;
Hunc equīs, illum superāre pūgnīs
Nōbilem : quōrum simul alba nautīs
Stēlla refulsit,

Dēfluit saxīs agitātus ūmor,
Concidunt ventī, fugiuntque nūbēs
Et mināx (quod sīc voluēre) pontō
Vnda recumbit.

Rōmulum post hōs prius, an quiētum
Pompilī rēgnum memorem, an superbōs
Tarquinī fascēs, dubitō, an Catōnis
Nōbile lētum.

Rēgulum, et Scaurōs, animaeque magnae
Prōdigum, superante Poenō, Paulum,
Grātus īnsīgnī referam Camēnā,
Fabriciumque.

Hunc, et incōmptīs Curium capillīs,
Ūtilem bellō, tulit, et Camillum
Saeva paupertās, et avītus aptō
Cum Lare fundus.

Crēscit, occultō velut arbor aevō,
Fāma Mārcellī : micat inter omnēs
Iūlium sīdus, velut inter īgnēs
Lūna minōrēs.

Gentis hūmānae pater atque cūstōs,
Orte Sāturnō, tibi cūra magnī
Caesaris fātīs data : tū secundō
Caesare rēgnēs.

Ille, seu Parthōs, Latiō imminentēs,
Ēgerit iūstō domitōs triumphō,
Sīve subiectōs Orientis ōrae
Sēras et Indōs,

Tē minor lātum reget aequus orbem :
Tū gravī currū quatiēs Olympum ;
Tū parum castīs inimīca mittēs
Fulmina lūcīs.